



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

II. Quantumvis exigua & vilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)



mis illum non dedecuit. Si tam vile & exiguum animalculum plantulave non est, in cuius dissectione ac partibus potentia & sapientia creatoris non sit admirationi: neque ullum est, in cuius conservatione benignitas & cura non elucescat. Eiusdem enim mentis est, producere quæ antè non fuerunt, & productis consulere. Et quomodò nihil tam contemptum est, ut alium totius sui auctorem habere, quàm Deum, potuerit: ita nec tam abjectum est, ut illum conservatorem, dispensatoremve habere non mereatur. Ad curam singulorum Deum trahit Bonitas sua, & rerum Pulchritudo.

II. *Quantumvis exigua & vilis.* Ille scilicet nobis Deus est, ut Seneca loquitur libro 4. de Beneficiis, non qui paucas boves, sed qui per totum orbem armenta dimisit, qui gregibus ubique vagantibus pabulum prestat, qui pascua hibernis æstiva substituit. Ille Deus est, qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum: Psalmo 146. Pusillum & magnum ipse fecit, & equaliter cura est illi de omnibus; Sapient. 6. Sine illo  
unus



unus passerum, dupondio vœneuntium, non cadit super terram, ut Christus magni consilii Angelus asserit, Matth. 10. Possum dicere, porcorum quoque setas numeratas apud Deum fuisse, cum absque Christi permissu tota dæmonum legio in illos ausa non est invadere: nedum capillos sanctorum. Ita loquitur Tertullianus libro de fuga in persecutione, ut intelligamus, Dei consilia & curas quaquaversum ad omnia pro-  
tendi.

III. *Nihil Deo  
improvi-  
sum.* Inde consequitur necessaria bonæ voluntati formandæ veritas: fortuitum Providentiæ Divinæ nihil esse, casuale aut contingens nihil, sed provisæ & præmeditata omnia, causasque eorum ac fines. Hinc fortasse Augustinum pœnituit, fortunæ nomen aliquando usurpasse. Christiano enim, imò rationali, fortuna nulla: omnia de cœlo ab æterna mente destinantur. Improvisæ quidem multa nobis, hebetis visûs animalibus, neque in futurum, nisi per incertas conjecturarum umbras prospicere valentibus, eveniunt. Eadem tamen prævisæ & ante  
dispo-